





14

DE

SUCCESSIONE COLLATERALIVM

IN FEODO NOVO IVRE ANTIQVI CONCESSO  
SECUNDVM IVS COMMUNE ET MECKLENBURGICVM

IVSTE RESTRINGENDA.

H. 5. num. 56.  
11

1777,2

PROLVSIO ACADEMICA

QVA

RECITATIONES IVRIS

PER SEMESTRE AESTIVVM

A SE

INSTITVENDAS

INDICIT

NICOLAVS GEORGIVS BERNARDVS  
DE LOEWENSTERN.



BVETZOVII A. R. S. cIc Icc LXXVII.

Q. R. M. C. P. D. F. I. N. A. T. E. M. C. O. M. Y.

M. U. D. A. R. L. V. M. R. A. T. A. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

A. S. G. E. S. M. M. E. S. S. E. S. S. E. S.

---

### §. I.

*In feodo novo iure antiqui concessō collaterales primi  
adquirentis succedunt.*

**P**rinципium iuris feodalis est, feodum dupli modo, *succeſſione* nempe atque *inveſtitura* adquiri a). A quo quidem dupli adquirendi modo duplex enascitur feodorum species. Quodſi enim quis ipſe per *inveſtituram primam* feodum adquirit, *nouum* illud dicitur; contra vero,

a) *II. F. 1. §. 2.* *Sciendum est* feu- dum neminem posse adquirere, nisi *inveſtitura* aut *succeſſione*. *II. F. 11.* pr. Per *succeſſionem* quoque, ſicut per *inveſtituram* beneficium ad nos pertinet. Quamquam enim in textu *I. F. 25.* dicatur, feodum sine *inveſtitura* nullo modo *conſtitui* posſe indeque interpretes prin- cipium illud deducere ſoleant, feodum per ſolam *inveſtituram* *conſtitui*; faci- le tamen vel ex eo, quod *succeſſione* quoque, quin *praefcriptione* etiam *con- ſtitui* illud queat, intelligitur, id qui- dem male ex citato textu inferri, cum que potius de solo eo caſu, vbi feodum *inter viuos per conuenctionem* *conſtitui-*

tur, intelligendum, verbum vero *inveſ- titura* de ſolemni et iudiciali tradi- tio- ni actu interpretandum eſſe. Tameth vero in duobus, quaes descripſimus, locis, foliis *succeſſionis* et *inveſtiturae*, eeu mo- dorum feodum adquirendi mentio fit, et tamen, *praefcriptione* etiam, illud adquiri, certum fit; ſatis tamen intelli- gitur, ſub *inveſtitura* etiam *praefcri- ptionem* comprehendti, utpote quae tacita- ram quandam *inveſtituram* inuoluit. Id quod ſatis clare innuit textus *II. F. 33.* vbi; *Sciendum eſt*, feodum adquiri *inveſtitura*, *succeſſione* vel eo quod ha- beretur pro *inveſtitura*.

## III

vero, si mediante successione deriuatiae ab alio adcepit, antiquum (*ein altes Lehn, ein altuaterlich Lehn, ein Stammlehn*) vocatur, siue is, a quo illud successione adquirit, ipse primus acquirens est, siue, a primo acquirente descendens, illud ipsem per successionem adquisiuit b). Illius ergo acquisitionis ratio in *successione*, huius vero in *prima inuestitura* continetur, et simul ac feodum ab aliquo primum per inuestituras adquisitum per successionem ad alios deuoluitur, feodum quod hucusque nouum fuit, in *antiquum feodium immutatur*. Ad *naturalia* vero feodorum in fauorem domini iure feodali communi constituta c) paeprimis et illud referendum est, quod successio in feodum legitima et ex iure sanguinis, vi inuestituae primi acquirentis non nisi illis competit, qui a *primo acquirente* per masculos legitime descendunt. Vi igitur istius principii 1) in feodo *antiquo* succedunt omnes *collaterales* vasalli ultimi defuncti, quatenus a primo acquirente sanguinem ducunt; 2) ab illa in *eodem* excluduntur, quicumque *collaterales* quidem vasalli defuncti sunt, sed a primo acquirente legitime per masculos non descendunt; contra ea autem 3) in feodo *novo* successione quidem legitima et iure sanguinis *nulli plane collaterales* vasalli defuncti, vt pote qui primus acquirens est, succedere possunt, sed aequae ac adscendentes illius a *successione* penitus excluduntur.

b) ROSENTHAL *de feudis cap. II.*  
concl. 10, n. 1. Io. Pet. de LVDEWIG  
in *iure feudor.* cap. 6. Frid. WILH. BAV-  
ARI, diff. duplex *de feodo novo argue-*  
*veteri.* Lipsiae, 1762. 1771.

c) *Fonter, ex quibus naturalia iuris*  
*communis circa feoda deriuanda sunt,*  
*exposuit Vir perill. Ge. Lud. BOEH-*  
*MER in principiis iur. feud. §. 37. In-*

ter illos non postremus est securitas  
domini respectu *consolidationis* et pro-  
videntia, ne ipsi spes aperturae decollet  
penitusque inanis euadat. Ex hoc quidem  
fonte varia promanarunt instituta,  
iure Longob. inter *communes feodorum*  
*rationes recepta, veluti exclusio adcen-*  
*dientium I, F. 50. exclusio masculorum a*  
*primo acquirente per feminas descen-*  
*dientium I, F. 1, §. 2, II, F. 11, pr. cet.*

cluduntur. Quoniam vero principium, ex quo haec consecaria fluunt, non ad feodorum *essentialia*, sed ad *naturalia* tantum spectat, nil impedit, quod id minus pacto aut lege speciali immutari possit. Hoc speciatim quoad feoda *noua* contingit, si illis aut per legem inuestiturae aut per juris specialis functionem sive scriptam sive non scriptam, effectus atque qualitates, antiqua feoda quos habent, impertuntur, quae hac ipsa quoque ex causa feodorum *nouorum iure antiqui concessorum nomine insigniuntur*. Quae quidem collatio quum eo pertineat, ut vi pacti illius aut legis adcipiatur, ac si feodum illud, quod quis primum adquirit, iam ab adscendentibus illius possessum et ad se successionem deuolutum sit, atque sic, quamquam vere nouum sit, tamen pro antiquo adcipiatur; sequitur omnino, ut non ille tantum, qui vere *primus adquirens* est, pro *tali* non habeatur, verum ut persona consideretur, *quae ipsamet a primo adquirente descendit*; sed collaterales quoque illius, non ut collaterales primi adquirentis, sed, aequo ac hic, *ut descendentes eius, qui pro primo adquirente adcipitur*, et ut collaterales *vasalli feodium ex successione possidentis* adcipiantur. Quae quum ita sint, intellectu facile est, ea etiam quoad successionem in feodis *nouis iure antiquorum praeditis* obtinere, quae ad naturam feodorum antiquorum intuitu successionis pertinent et per consequens ergo collateralibus quoque primi adquirentis, quoad tales sunt, qui ab eo, qui pro *primo adquirente* habetur, originem ducunt, successionem in illis competere d).

### §. H.

*d) FINCKELTHAVS disput. feud. III. Lud. MENCKEN diff. de simulat. disp. II. th. 15. ROSENTHAL I. c. nea iuvestitura adscendentibus ad success. cap. II. concl. 13. Ge. Thcopb. BOERNER de feudis antiquis iure nouorum et nouis iure antiquorum praeditis cap.*

## §. II.

*Vtrum haec successio ad certos gradus restringenda sit?*

Quum vero in feodis vere antiquis collaterales vasalli defuncti tan-  
tum eos, qui a primo acquirente oriundi sunt succedere, reliquos vero,  
qui quidem ad collaterales vasalli defuncti pertinent, sed a primo feodi  
acquirente sanguinem non ducunt, a successione excludi vidimus; merito  
quaestio oboritur: quisnam ex adscendentibus illius, qui feodum nouum  
*iure antiqui* sibi comparauit, pro primo acquirente adcipiendus sit, et  
quousque adeo collateralium vasalli, ipso moriente, successio in istiusmodi  
feodo tendat? Quae quidem haud difficulter deciditur, si in lege aut  
pacto, quibus feodorum antiquorum indoles feodis nouis collata est, ea-  
dem ad certos ac determinatos adgnatorum gradus restricta est. Quodsi  
enim certae ex personis primo acquirenti ex latere coniunctis denominatae  
personae, ad quas feodum post obitum acquirentis illiusue descenden-  
tium successione venturum est, siue id lege generaliter factum, siue inter  
inuestituram pacto speciali constitutum sit, huic tunc standum esse, non  
ambigitur. Sicuti ergo, talismodi nonnullarum personarum denomina-  
tione in lege aut litteris inuestiturae diserte facta, successio non ad certas  
aliquas personas *infra* gradus expresse nominatos positas restringi, ceterae-  
que in gradibus expressis constitutae excludi possunt; ita nec ultra nominato-  
res gradus denominatasue personas successio extendenda, sed eo magis ad  
has restringenda est, quo manifestius est, hoc ipso pacto *naturam* feo-  
dorum mutari, quoue certius est, dispositiones, quibus natura feodorum  
immutatur eaque impropria efficiuntur, stricte esse interpretandas. Licet  
vero, si feodum ad talem personam, quae in gradu *admisso* cum primo  
acquirente constituta est, successione peruenit, tunc omnes illius descen-  
dentes, et si longe *ultra* gradus *expressos* sint, in *infinitum* admittendi in-  
telligantur, quoad aliud legis sanctione aut pacto inuestiturae adiecto cau-  
tum

tum non deprehenditur; quia tamen extensio successionis ultra personas pacto aut lege denominatas non valet, non desunt viri docti, qui nec descendentes denominatarum personarum, viuente adhuc primo adquirente aut vasallo possessore alio inter designatas personas comprehenso, antequam ad ipsas feodum deuolutum est, demortuarum ad eam admittendos censem. a) Proinde, si quis feodium hac lege adquisierit, ut se suisque descendantibus exstinctis, in illud *frater* succedat, hoc antequam ordo successionis ad illum peruenit, fato cedente, filios ipsius possessore moriente ad successionem nullo modo adspirare posse arbitrantur. Verum enim uero, praeterquam quod omnium in genere pactorum atque conuentionum ea natura communis sit, vt, *Papiniano* monente, in dubio etiam *heredibus* profint, b) per concessionem feodi noui iure antiqui definite factam, certa quaedam inter adquirentis adscendentibus persona tamquam primus adquirens consideratur, a quo qui legitime descendunt, post mortem eius, qui vere feodium nouiter adquisiuit, in illo succedunt. Manifestum hoc est, si feodium tamquam ab adscendentibus in certo determinatoque gradu aliquo cum adquirente constituto adquisitum, veluti sub formula: *Als ein grosvaeterliches Lehn, als wenn es vom Vater erlangt waere, als wenn es von dem Grosvater erworben worden, cet. speciatim conceditur.* c) Idem tamen etiam de eo casu dicendum est, quando feodo nouo respectu certorum vasalli adquirentis collateralium, sive quoad gradus, sive quoad personas, expresse definitorum, atque denominatorum antiqui feodi qualitas tribuitur, veluti: *Als ein altes Lehen bis zum dritten Grad, vel, in Ansehung der Brueder und Bruderkinde als ein altes Lehen, cet.* Nam et tunc habetur atque adcipitur, ac si ab adscen-

a) SCHRADER de feudis P. VII, cap. 7. n. 3. Ioach. SCHNOBEL disputatione. dis/p. VII. §. 13.

b) in L. 30. pr. D. de pactis,

c) Ern. Io. Frid. MANZEL diss. de eo quod resert feudum esse vere antiquum vel nouum iure antiqui concessum §. 32.

## VIII

adscendente eo, qui collateralibus ita diserte nominatis cum vero primo adquirente communis *spipes* est, prima inuestitura acquisitum et deinde ad eum, qui vere primus adquirens est, *succeßione* deuolutum esset. Iam vero, quum iure communi in feodis vere antiquis fratrum quoque *descendentes*, et quidem, *in infinitum succedant*, d) nisi quod fratribus defuncti vasalli cum illis concurrentibus, soli fratrum *filiæ*, et quidem iure *repræsentationis*, succedant, e) reliquis, quousque fratres, ad quos feodium deuoluitur aut descendentibus eorum vivunt, exclusi; idem quoque, nec aliud, quoad feoda noua iure antiquorum concessa adsumendum esse existimo. f) Maiori autem adhuc dubitationi obnoxia est quaestio, quando *certae personæ*, quae in feodo novo hoc modo, ut qualitates antiqui habeat, concessa succedant, in lege aut litteris inuestiturae *nullæ* denominatae sunt, sed feodium tantummodo verbis generalibus: *Iure antiqui*, nach *Art und Eigenschaft eines rechten alten Stammlebens* confertur: quousque tunc primi adquirentis coilaterales in feodium illud succedant? Quam quidem in praesenti exponere præpositum est.

## §. III.

d) II. F. n. II. F. 50.

e) cit. II. F. n. quocum conuenit *Ius feud.* Sax. c. 32. Dieweil sie ein Gut zusammen haben, stirbt ihr einer, sein Kind tritt in des Vaters statt, und behält sein Gut gemein mit den Vetttern, als es sein Vater hatte. Io. Iac. Boze diff. de iure *repræsentationis collateralium in feudo*. Ex quo patet, non inutile esse *ius repræsentationis* in *succeßione feodali*, ut opinatus est Io. Pet.

de LVDEWIG singul. iur. feud. p. 135.  
Ea enim, quae monet, ad eum solum casum pertinent, quando vel soli existunt fratrum filii vel feodium iam ad defunctos eorum parentes deuolutum fuit.

f) Consentit Ge. Ad. STRVIVÆ Syntagm. I. F. cap. IX. apb. 4. n. 3. et Adr. BEIERS ad Schnobelium I. c. p. 269.

## §. III.

## Variae interpretum sententiae.

Non omnes, qui de iure feodali et praesertim de hac feodorum nouorum iure antiquorum concessionum doctrina aliquid commentati sunt, interpres, hanc, qua de nos agere coepimus, quaestionem in suis scriptis tetigere. Quo quidem sit, ut in praestantissimis, quae sunt de hac iuris parte HORNII, STRVYII similiusque operibus disquisitionem eius rei si quaeritas, amplio veluti in aere piseris. Eorum vero, qui suis hanc quaestionem luminibus illustrare haud sunt dignati, magna est sententiarum varietas. Alii enim successionem collateralium primi adquirentes esse voluerunt *infinitam* nullique gradui adstrictam; alii contra domini in fauorem *ad certum gradum eam restringendam esse* arbitrati sunt. Posteriori superioribus quidem temporibus tantum non omnes interpres, iisque magni, si Diis placet, nominis Iureconsulti defenderunt, in tantum, ut ipsorum opinio non modo *communis* fuerit a), verum et in summis adeo tribunalibus et praesertim in iudicio *camerae imperialis* regnarit. Haec autem eo reddit, ut in feodis quidem *vere antiquis* successio collateralium a primo adquirente oriundorum *in infinitum* procedat b), in feodis vero in se *nouis*, iure autem antiquorum concessis collateralium successioni, praesertim, si in eos statim ab adquirente transierit, ad *septimum* tantum usque gradum locus sit c). Rationes vero huius singularis

qui-

a) Vti eam expresse vocat *Did. co- de feud. Part. VIII. concl. 3. Hartm.*  
*VARRVIAS resol. iur. lib. II. cap. 5. HARTMANN obs. pract. tit. 54. obs.*  
*n. 4. 16. n. 9. MYNSINGER obs. cens.*

b) *Il. F. 50.*

c) Ita inter alios antiquioris aeuui interpres sentiunt *DECIANVS conf. LXXXV. u. 5. VId. ZASIVS tract.* *de feud. Part. VIII. concl. 3. Hartm.*  
*HARTMANN obs. pract. tit. 54. obs.*  
*16. n. 9. MYNSINGER obs. cens.*  
*II. obs. 95. GAIL obs. L. 2. obs. 150.*  
*Goth. ANTONIVS disput. feud. disp.*  
*V. ib. 7. nor. k. et Sam. STRYCE*  
*exam. iur. F. cap. XVI. qu. 20.*

quidem, sed usitatissimae quondam opinionis si postulas, ut iure tuo postulabis, piget fere easdem recensere, quum, si recenseam, neminem fore, opinor, sicut neas eas et admodum frigidas esse, qui non statim perspexerit. *Primum* quidem monent, commodum domini illiusque presumtam voluntatem hanc decisionem efflagitare, quum enim, si collateralium primi adquirentis successio, quam cum hoc pactus est, infinita procederet, actum fere esset de spe consolidationis; non solum securitas domini respectu aperturae feodi, limitationem iuris succedendi collateralium pacto concessi suaderet, sed nec praesumi quidem posset, domini pacientis eam voluntatem fuisse, ut spe consolidationis penitus cadat et adgnatorum adquirentis aeterna euadat successio. *Deinde* ad illa iuris feodalis Longobardici loca prouocant, vbi adgnati usque ad septimum tantum gradum succedere dicuntur *d*), et, cum illis alia eiusdem iuris loca, vbi omnes ex latere per masculos descendentes usque in infinitum ad successionem admittunt *e*), repugnare videntur, haec quidem ad feoda vere antiqua restringunt, illa autem de feodis nouis iure antiquorum concessis interpretantur. Hae quidem sunt rationes, quae olim interpres ad successionem collateralium ad septimum gradum limitandam commouerunt. Quemadmodum vero, quod ad priorem attinet, neque ex praesumpta illa, si qua est, domini voluntate, neque ex detimento et periculo illo, quod is sine dubio incurrit, quando collateralium primi adquirentis, ad postremum usque, aeterna obtinet successio, et sic spes consolidationis ipsius veluti sacrum inter et faxum stat, hoc quidem colligi possit, successionem eorundem in gratiam et ex voluntate domini praecise ad septimum gradum restrictam esse, quoniam plus inde non constet, quam restrictam et limitatam esse eam, nec etiam, quare praecise ad septimum gradum illa restringi debeat, vlla ratio praefsto sit; ita nec

posterioris

*d) I. F. 1, §. 4. I. F. 8, §. 1.*

*e) II. F. 31, II. F. 50.*

posteriorius argumentum ab iis iuris Longob. textibus petitum, quibus successio collateralium ad septimum gradum restringitur, ad fulciendam illam opinionem quidquam facit, tum, quod, ut rectissime iam olim obseruarunt Iac. CVIACIVS f) et Andr. FACHINEVS ICTUS Foroliensis g), ipsi textus, ut nuda illorum inspectio docet, disertis verbis de feodo paterno sive antiquo loquantur h), tum, quod illi, prout in vulgaris fere notum est, ius antiquius et sententiam quorundam sapientium Mediolanensem singularem tantummodo referant, cum contra reliqui ad ducti textus, ex quibus collateralium successionem in feodo aucto nulli gradui adstrictam, sed infinitam esse, adparet, ius nouissimum comprehendant i). Quae quidem quum ita sint, sane non multum miraberis, quando recentiores iurisprudentiae feodalis interpres tantum non omnes hanc ipsam veterum sententiam vehementer rident, et, in alia omnia euntes, ceu spuriam et solido destitutam fundamento reiiciunt. Et hi quidem sunt, qui infinitam esse collateralium primi adquirentis in feodo nouo iure antiqui concesso successionem contendunt k). Enimvero, ut recte obser-

f) ad I. F. 8. §. 1.

lustris Car. Ferd. HOMMEL in obte-  
ctau. iur. feod. Ohf. XIII.

g) in Controuers. iur. lib. VII. cap.  
27. tom. II. p. 51.

k) Wilb. LVDWELL de successione

b) Nam in cit. textu I. F. 8. §. 1.  
discere dicitur: Et olim obseruabatur  
usque ad quarrum gradum tantum SE-  
CVNDVM QVOSDAM; hoc ideo, quia  
postea non vocatur feudum PATERNUM  
ALII autem dicunt usque ad septimum  
gradum.

feudali cap. IV. p. 229. Eguin. BARO

in obseruat. ad consuet. feud. lib. I. tit. 8.

§. 1. Franc. DVARENVS in consuet.

feud. cap. XI. n. 16. in oper. tom. II.

p. 411. Io. Pet. de LVEWIG obser-

uat. ad Stryckii examen I. F. c. XVI.

qu. 20. Hartm. PISTORIVS quaest.

juris L. 2. qu. 19. ROSENTHAL de

feudis cap. II. concl. 13. n. 6. cap. VII.

concl. 56. n. 2. sqq. concl. 59. n. 16.

i) cit. I. F. 8. §. 1. Conf. Vir Il-

B 2

obseruat Perill, *Car. Henr. MOELLERV S 1)*, nimis benigne etiam hī sentiunt, qui hanc sententiam defendunt, quoniam non solum, hac constituta, in feodis istiusmodi nouis iure antiquorum concessis successionis collateralium nec modus esset, nec finis, adeoque domini commodum et spes futurae consolidationis et aperturae magno in discrimine versaretur; verum hoc etiam intuitu, feoda haec *noua* iuribus antiquorum tantummodo censenda effectus atque iura haberent, effectibus atque iuribus *vere antiquorum* maiora, cum in his ius succedendi collateralium ultimi vasalli per qualitatem descendantiae a primo adquirente aliquo modo circumscribitur, in illis vero immensum et infinitum foret.

#### §. IV.

*Successionem collateralium in feodis nouis iure antiquorum concessis ad solos collaterales per fratrem restringendam esse demonstratur.*

Evidem igitur nec in eorum castra transeundum esse puto, qui immensum et infinitum ius succedendi primi adquirentis collateralibus in feodo novo iure antiqui generatim et indefinite concessio vindicant, sed illud iuste limitandum et ex voluntate domini praesumta restringendum esse duco; nec tamen quoque eorum in verba ut iurem, qui ad septimum collateralium gradum illud restringunt, a me quidem impetrare possum. Quoniam vero numquam non verissimam putauerim esse sententiam, quam habuit olim **EVRIPIDES** his verbis proditam:

Ωδησε μιας χειρὸς αὐθεντὸς μάχῃ ὅντως εἰς ἀνὴρ οὐ πάντ' ὄρα  
ita etiam ipsam hanc de limitanda collateralium successione ad certum  
modum, quam veteres tenuere opinionem, adhucdum ego veriorem  
habeo,

1) in primis lineis us. distinct. feud. cap. XVI. distinct. 6.

habeo, dummodo limites restrictionis illius paulo aliter, atque ab illis  
 factum est, constituantur. Videlicet puto, tum quidem, cum feodum  
 aliquod nouum generalibus verbis: *iure antiqui s. paterni, nach Recht  
 und Eigenschaft eines alten Lehens, eines vaeterlichen Lehns, eines  
 Stammlehns* alicui confertur, in dubio et ni diserte concedentem inter  
 dominum et adquirentem vasallum aliter conuentum est, ex *iuris com-  
 munis* sententia illiusque rationibus ad successionem non alios adspirare  
 posse, quam quidem collaterales cum ipso adquirente *in secundo gradu*  
 constitutos seu *fratres*, nisi quod, siue ad hos successione reapse deuo-  
 lutum est, siue ante casum successionis praemeriantur, *illorum quoque  
 descendentes* in infinitum succedant. (§. II.) Quae quidem quum dico,  
 facile patet, quam longissime haec mea sententia ab eorum opinione re-  
 cedat, qui ad gradum septimum usque successionem collateralium patere,  
 quondam arbitrati sunt. Sed, quum hi quidem, qui praeter solum do-  
 mini commodum, et peruersam iuris interpretationem, omni solidi  
 desituantur fundamento, nec, quibus hanc suam sententiam firment,  
 rationes adducant, tam felicissime aleam iecere, vt ipsorum opinio in  
 summa adeo archidicasteria Imperii auctoritate penetrauerit a); quidni  
 nobis sententiam rationum pondere, vt puto, satis munitam aduersus eos  
 modeste defendere licebit, qui, opinionis vulgaris pertaesi, effectus  
 feodorum iure antiquorum praeditorum immane quantum hodie ampli-  
 ficant et in illis infinitam collateralium successionem contendunt? Quare  
 recensemus rationes, ex principio iuris feodalis eiusque analogia de-  
 promtas, quae nos ad ita sentendum mouent, vt habeant, vnde causam  
 nostram diuident sententiamque a nobis defensam in trutina suspendant  
 viri docti, qui haec nostra legant, quorum quippe iudicio et stare et  
 cadere cupio. *Primum* vero, quum feodo nouo natura antiqui genera-  
 tim

a) MYNSINGER et GAILIVS loc. supr. cit. non cum sententia signata.

## XIII

tim datur, nihil aliud agitur aut intenditur, quam, ut illud *respectum antiqui feodi*, eines alten *Lehns*, habeat. Licet ergo talismodi lex auctoratum, quo feodo novo effectus atque iura *antiqui* impertijuntur, omnino ita intelligi debeat, ut effectum aliquem habeat, nec omni exitu destituantur b); neminem tamen fore existimo, qui *fratribus horumque descendantibus* in feodis nouiter quidem, sed iure antiquorum, comparatis, ad successionem vocatis, pactum illud aut legem istam, quo quae illis antiquorum feodorum iura applicata sunt, nullo plane effectu potiri nec exitum habere dicat. Quum enim in feodo novo, quod iure antiqui haud concessum est, *descendentes* tantum primi adquirentis succedant, *fratres* vero non minus, quam reliqui illius collaterales et adgnati remotiones a successione penitus excludantur (§. 1 n. 3.); satis omnino effectum istiusmodi concessio in eo habet, quod fratres ceteroquin exclusi, et, descendentes quoque eorum in infinitum omnes succedere possint, nec igitur, ut effectum habeat concessio et feodum nouum antiqui feodi respectum nanciscatur, vltiorum graduum adgnati ut succedant, necesse est. Deinde quum ad naturam successionis feodalis pertineat, quod non, nisi primi adquirentis descendentes, neutquam vero *collaterales* illius in feodo succedant; manifestum omnino est: per talismodi iurium feodorum antiquorum collationem nouis feodis factam, vtpote qua id efficitur, ut in illis collateralium quoque successio procedat, a naturalibus feodorum recedi et feoda eiusmodi noua iuribus antiquorum praedita ad *impropria* feoda referenda esse c). Quoniam vero in dubio pro natura feodorum praesumtio stet; principium iuris feodalis est: mutationem istiusmodi naturalium feodi *strictissimae* esse interpretationis et ita in dubio censendam, ut in minore tantum naturalium parte a communi feodorum ratio-

ne

b) In his enim, quae contra ratio in L. 15. D. de legibus.

nem iuris constituta sunt, non possumus

sequi regulam iuris, vt ait IULIANVS

c) SCHRAADER Part. II. cap. 4. n. 64.

ne recessum fuerit d). Quod quidem, quum in vniuersa iuris disciplina obtineat, et expediti plane certique iuris sit, quare nec in praesenti quaestione valitum sit, equidem nullus video. Licet ergo in feodo novo iure antiqui concessio naturalia feodorum in tantum immutata sint, ut etiam *collaterales primi adquirentis* ad successionem in illis vocentur; hoc tamen tantummodo *in minima parte* factum, adeoque ad *collaterales* in secundo cum primo adquirente gradu constitutos horumque descendentes restrigendum videtur. Praeterea ipsa adeo iuris *civilis* doctrina hanc strictam interpretationem concessionis iurium feodorum veterum nouis factae, sive illa rationem suam in passione quadam speciali, sive in lege aliqua habeat, efflagitare videtur. Quodsi enim *lege quadam speciali* concessio haec inititur, per naturam *iuris singularis*, illa ad consequentiam non trahenda, sed strictissime interpretanda est e), quemadmodum nec credibile est, leglatorem per talem concessionem iuribus suis, quae ipsi qua domino directo in feodium competunt, vel nuncium plane mittere, vel certe spem consolidationis difficulter atque dubiam sibi reddere voluisse. Quodsi vero *passione quadam* qualitas illa concessa est, aduersus *collaterales primi adquirentis* fratre ipsius remotiores interpretatio in dubio ea de causa merito facienda est, quod hi extraordinarium et tale quid praeendant, quod ad naturam feodorum non pertinet, quin potius eidem aduersatur. Quum enim illud pacto diserte haud insit, iure suo postulare non possunt, quod expresse addi primus adquirens haud curauit, quin potius et tunc pacta eiusmodi *stricte* intelligenda et aduersus eos interpretanda sunt, qui *clarius loqui et ea*

d) II. F. 2. §. 2. 3. II. F. 48. Car.  
Henr. MOELLER I. c. cap. III. di-  
stinct. I. Illustr. Car. Ferd. HOMMEL  
academ. Reden über das Lehnre. p. 106.  
Chr. GOTTH. GUTSCHMIDT de feudis

omnibus iure proprietum omni ex parte  
censendis nisi muratio rationis feudo-  
rum communis demonstretur.

e) L. 14. D. de legibus.

ea exprimi curare debuissent, quae a natura feodorum recedunt f). Quibus denique adcedit, quod, in ipsis illis iuris feodalis Longobardici locis, ex quibus feoda noua iuribus antiquorum concessa deriuant, non nisi fratribus eius, qui feodium hac lege comparauit, mentio fiat et de solis his, eos succedere, dicatur g). Ut taceam, huic quoque sententiae, ipsam denominationem *feodi fraterni* (eines brüderlichen Lehens), qua feodium nouum iure aut: concessum significari solet, subuenire h).

### §. V.

#### *Sententia Caroli Molinaei refellitur.*

Vidit hic aliquid *Carolus MOLINAEVS a)*, sed sententiam nostram ad eum casum restringit, quando feodium nouum iure antiqui concessum, disertis verbis, *tamquam feodium a patre adquisitum, als ein waeterlich Lehn, sive, als wenn es vom Vater waere erworben worden,* collatum est. Videlicet tum quidem, quum *diserte sub hac formula concessum est, successionem ad solos fratres eorumque descendentes pertinere statuit; quodsi vero indefinite et generaliter iure antiqui, nach Art eines alten Lehnis constitutum est, omnes omnino collaterales in infinitum succedere contendit.* Qua quidem in re sectatorem nactus est *B. Ern. Io. Frid. MANTZELIVM*, iureconsultum olim in hac academia celebrissimum b). Enimvero, sicut iam olim *maiores nostri* soliti fuerunt, omnia

f) Conf. B. Cancell. Inst. Henn. BOEHMERI diss. de interpretatione facienda contra eum, qui clarius loqui desideruerat. Car. Franc. BOESCHE diss. inaug. de pastorum ambiguorum interpretatione.

(g) I, F. 1, §. 2. I, F. 20.

b) Io. Thom. MARINVS de MARINIS de gener. et qualitatib. feodorum. XII. XVIII. Henr. BOEVERS de distributione feudi cap. V. n. 85. a) ad consuetud. Paris. rit. I. §. 5. n. 8. b) in cit. diss. §. 31.

omnia bona, quae successione essent adquisita, siue a *patre*, siue a *matre* proficiscerentur, denominatione *bonorum paternorum seu patrimonii insignire* c); ita etiam in primis *iure feodali* inter *feodum antiquum* et *alte Lehn* et *feodum paternum* et *vasterliches Lehen* haud distinguatur, sed *paternum* quoque *feodium*, qua quippe voce *ius feod.* Longob. *vnice vtitur*, eodem modo, quo *antiquum* illud *feodium* dicitur, quod quis non primum adquisiuit, sed mediante successione adcepit, adeoque omne inter utrumque discrimen, tum *quoad fundamentum* d), tum *quoad effectus* cessare, quin doctrinae iuris feodalis aperte repugnare,

recte

c) Pettinet eo in primis sequens locus in *Annal. Godefridi Monachi ad a. 1185.* apud. *Marqu. FREHERVM in scriptor. rer. germ. tom. I p. 249.* *Dux Saxonie peractis exultationis juae annis de Anglia redit, proprio rontum contentus PATRIMONIO.* Quocum conuenit *Arnoldus Lubecensis Lib. III. c. 12.* apud *LEIBNITIVM Script. rer. Brunsuic. tom. II. p. 665.* Quae quidem loca inter alia propterea notaui, quod plane in iis vox *patrimonium* ne quidem bonum hereditarium quodcumque, sed illud tantum denotet, quod a *matre* illiusque *adscendentibus* proficietur. Hoc intelligi, cuincit *Chronicon Brunsuicense* apud laudatum *LEIBNITIVM* l. c. p. 24. Interim saepissime quoque *patrimonium* pro bonis a *patre* et *paternis adscendentibus* hereditario iure adquisitis, strictiori quadam in

significatu sumitur, et *matrimonio* siue bonis maternis contradistinguitur, ut in charta apud *Car. de FRESNE glossar. v. allodium: cum omni hereditate PATRIMONII et MATRIMONII sibi*, nec non in diplomate apud *GUIL. NEDAM* in *bistor. ultraiect p. 118.* cum omni hereditate *PATRIMONII et MATRIMONII.* Haud tamen minus verbum illud in hoc stricto, quam in laxiori illo significatu rem nostram conficit. Conf. *Burch. Gorth. STRYVIUS tr. de allodiis Imperii cap. I. §. 2. not. g. p. 8. et cap. III. §. 36. p. 240.* Io. Ferd. *Wilb. BRANDT de natura bonorum auitorum cap. I.*

d) In iure enim *feod.* Longobardico denominatio *feodi antiqui* plane non occurrit, sed ubique *paternum* vocatur. Vid. I. F. 14. §. 2. I. F. 20. II. F. 14. §. 2. II. F. 14. II. F. 50.

## XVIII

recte hodie interpretes uno veluti ore omnes confitentur e). Quodsi ergo nulla inter utrumque differentia obtinet, rationem nullam video, quare maiorem effectum feodo nouo sub formula iuris antiqui, quam feodo nouo sub formula iuris paterni concessum putemus, et, cur successionem collateralium tantummodo in posteriori casu ad folos fratres eorumque liberos restrictam esse, in priori vero omnibus omnino collateralibus competere, dicamus? Sane enim, quod obiicit MANTZELIUS, auctorem iuris feodalium, licet promiscue usus sit vocibus paternum et antiquum, tamen paternum feodium intelligere f) de adgnato successu plane diuerso respectu ac feodium nouum iure antiqui concederetur, quod nempe intelligendum respectu adquirientis, ut in eius persona pro paterno habeatur, non simpliciter pro paterno ratione omnium adgnatorum, quorum quippe mentio ne quidem facta, ut ad eos dicta verba porrigi queant, aut plane sensum nullum admittit, aut certe odiosam verborum disceptationem sapit, quin re penitus inspecta, manifestam plane contradictionem inuoluit. Nam, si feodium nouum iure antiqui, sive paterni indefinite conceditur, per ea, quae supra exposuimus, (§. I.) adcipitur, ac si pater illius, qui vere primus adquires est, illud iam primum adquisivisset, et sic fratres illius eorumque descendentes propterea succedunt, quod pro paterno i. e. a patre suo adquisito habetur. Quare, quod in feodo antiquo

e) Casp. BITSCHIUS comm. in con- synt. I. F. c. 3. apb. 2. n. 1. Casp. fues. feudor. lib. I. tit. 8. §. 1. Io. Henr. HORNIUS iurispr. feud. cap. Frid. KHETIVS comm. ad ius feud. III. §. 7. Iac. Gabr. wOLFE elem. p. 338. Io. WVRMSEY de feudis im- iur. feud. c. 18. §. 7. Perill. Ge. Lud. propriis class. II. fct. VIII. n. 10. sqq. BOEHMER in princ. iur. feud. §. 132. Henr. de ROSENTHAL de feud. cap. not. a. ibique cit. Frid. Wilb. BAVE- II. concl. 13. n. 6. Wilb. LVDWELL RVS dist. I. de feudo novo atque veter- in synopsi I. F. cap. 3. p. 47. Harrm. ri §. 5. Car. Henr. MOELLER u. PISTORIUS in quaest. iuris lib. II. distinct. feud. cap. 3. distinct. 4. quaest. 5. n. 2. Ge. Ad. STRVVIUS f) in texto II. F. 11.

antiquo vere obtinet, id in feodo iure antiqui concessio obtinere per fissionem quandam adcipitur. Qodsi igitur feodium nouum generatim et absque vlla alia determinatione vel clausula conceditur, id minime omnino respectu adquirentis tantum et in illius solummodo persona pro antiquo atque paterno habetur, sed potius respectu quoque adgnatorum illius, non quidem omnium, sed tamen eorum, qui ab eo descendunt, qui pro primo adquirente adcipitur, i. e. patre illius, qui vere primum illud acquisiuit. Falsum itaque est et ipsi naturae concessionis iurium feodi antiqui novo isti feodo factae plane aduersum, in feodo novo iure antiqui concessio paternitatem illam ad solam adquirentis personam restringi, vt pote quo posito effectu plane destitueretur talismodi concessio, quippe quae non nisi ea ex ratione sit, vt collaterales quoque succedant et sic horum intuitu feodium nouum respectum antiqui habeat. Proinde, si solius adquirentis intuitu tantum pro paterno haberetur; collaterales nulli succedere possent, sic vero concessio iurium antiqui inanis plane et ficalnea euaderet.

### §. VI.

*Quid iure prouinciali Megapolitano in hac quaestione obtineat?*


Quoniam autem ius *commune* per leges *particulares* immutari posse, in vniuersum certum sit; lubet his meditationibus cam adiungere quaestionem: vtrum eadem, quae exposuimus, principia iuri quoque *Megapolitano* conueniant, an potius eodem sint immutata? Qua quidem in re ante omnia inter ea feoda noua, quae quis mediante emtionis contractu et quidem ab ipso vasallo possessore acquisivit, et illa feoda, quae quis aliunde aliquo modo comparauit, discrimen faciendum est. Videlicet, ad singularia iuris feodalis *Megapolitani* et illud merito referendum est, quod feoda noua per emtionem venditionem ex vna familia in aliam translata vi



generalis cuiusdam constitutionis ipsa lege *iura antiquorum* habeant collateraliumque primi adquirentis successionem admittant. Quod quin igitur per clara constitutionis verba non nisi ad feoda *prioris* generis, quae quis mediante emtionis contractu ab ipso vasallo hucusque illud possidente adquisiuit, pertineat, de his quid in nostra quaestione obtineat, prius videndum est. Id quod haud videmur facilius consequunturi, quam si ipsa, quam diximus, constitutionis verba, vtpote ex quibus res omnis definita est, hic adportamus. Illa vero ita se habent a): *Der aus einem Geschlecht ins ander verkauften Lehn halber, erklaeren wir uns fürs dreyffigste, in Gnaden dahin, daß in dergleichen Faellen des Kaeuffers saemtliche Vettern, so sich mit ihm der Agnation und Sippenschaft halber, bis auf den fünften Grad exclusive gebührlich zu berechnen, in der Kaufbeschreibung und Fürstlichen Consens nominatum mit begriffen, und das verkaufta Lehn, quoad ippos nominatos, und derselben Leibes-Lehns-Erben, in infinitum pro feudo antiquo gehalten, und solches auch auf die vor diesem bereits erkaufta Lehn gezogen werden soll.* Qua quidem clementissima sanctione ius commune secundum principia haec tenus expedita immutatum, atque successionem collateralium primi adquirentis ad certum gradum et quidem quartum restrictam esse, licet dubii habeat necquidquam: nihil tamen minus nondum adeo explicata et explorata res est, vtrum per sanctionem illam disciplina iuris feudalis communis ad successionem collateralium prioris gradus restricta, vltierius amplificata et extensa, an vero adhucdum magis restricta atque limitata sit? Nimur res eoredit: vtrum haec sanctio et illa comprehensa successionis agnatorum ad quartum gradum restrictio ad solos collaterales per patrem, patruum nempe, propatruum, patruelles, cet: an vero secundum analogiam iuris com-

*a) Revers. de a. 1621, §. 30. Per. laribus fendorum Mecklenburgicorum TORNOW ae feudis Mecklenb. Part. I. iuribus scđ. II. §. 19. secundum hoc p. 181. Ge. ENGELBRECHT de Angu-*

communis modo expositam, ad solos *collaterales per fratrem*, utputa fratribus liberos et nepotes; an denique generatim et communiter, tam ad *collaterales adscendentium*, quam ad *collaterales per fratrem* pertineat. In priori enim casu manifestum foret, *extensionem* principiorum ex ratione iuris communis deriuatorum lege nostra in eo factam esse, quod *collaterales per patrem*, quos iure communi penitus excludi vidimus, ad quantum usque gradum admissi fuerint. Contra autem ea, si constitutio nostra ad solos *collaterales per fratrem* spectaret, non minus constareret, iuris communis restrictionem in eo magis adhuc auctam esse, quod, quum secundum analogiam iuris communis successio fratribus eorumque descendenterum in infinitum obtineat, illa per legem nostram ad eos tantum, qui in quarto cum adquirent gradu sunt constituti i. e. ad fratribus nepotes restricta fuerit. Quodsi denique sine discrimine ad *collaterales primi adquirientis cuiuscumque generis* spectaret, non posset non per illa, quae de utroque genere disputata sunt, restrictio ex ratione iuris communis deducita, diuerso respectu tum magis adhuc coarctata, tum quoque relaxata paululum per constitutionem nostram videri. Iam quidem, tametsi non ausim negare, quaestione illam posse in utramque partem disputari; tamen, si dicendum, quod res est, mihi quidem vero omnino videtur similius id, quod primo loco scriptum est, locum nempe nostrum eiique, quae ineft, restrictionem ad solos *collaterales per patrem* spectare adeoque successionem collateralium adquirientis iure nostro longe augustinorem amplioremque esse effectam, quam rationes iuris communis permittunt. Certe, vel propter indefinitam adgnitorum mentionem et vocem *saemtliche* diserte additam, hoc quemuis mihi facile daturum confido, per iuris nostri sanctionem *collaterales adscendentium* in hisce terris a succeſſione in feodium nouum iure ant. praeditum haud arceri, quantumuis iuris communis ex analogia eos arceri ex supra expositis claret. Sed utrum ad hos solos restrictio illa pertineat, an potius propter dispositionis generalitatem



de fratribus quoque *descendentibus* interpretanda sit, hoc quidem est, quod non sine causa in disceptationem vocari poterit. Evidem, si quis hic ius nostrum particulare, qua tale ex iuris communis analogia interpretandum esse censeret, is non minus egregie vapularet, quam is, qui restrictionem illam successionis ad quartum gradum, tamquam dispositionem *odiosam* ad solos collaterales *per patrem* restringendam putaret, aut ius succedendi descendantium ex fratre, infinitum ex voto praesumto vel adquirentis, vel parentis in inuestituram primi adquirentis recepti deriuaret. Sane enim, quum per constitutionem nostram feodis in se nouis feodorum antiquorum effecta tribuuntur, et sic personae ad successionem in illis admittuntur, quae ex ratione feodorum nouorum de iure feodali communi penitus ab ea excluduntur; *beneficium* illa admirabile continet, tantum igitur abest, ut *odium* in eo quaeri possit, quod ius succedendi personarum benigne admissarum ad certum modum iuste reuocatum circumscriputumque fuerit. Sed et de voto fratribus admissorum aut ipsius adeo primi adquirentis praesumto hic eo minus cogitari potest, quo magis haec feodorum nouorum qualitas ex ipso *lege*, haud quamquam vero ex pacto aliquo dependet. Nihilominus bene communiam existimo causam, quam tueror. Quum enim lege nostra saepe laudata respectu *collateralium per patrem* usque ad quartum gradum, i. e. ad *propatrum* feodum nouum ab ipso vasallo emtum pro *antiquo feodo* habetur, facile quidem luculenterque intelligitur, per istam sanctionem *proauum* emtoris pro *primo adquirente* feodi emti adcipi. Iam vero, cum ex iuris feodalis communis disciplina, quae in his terris nulla lege aut consuetudine abrogata est, in feodis *antiquis* omnes omnino, qui a primo adquirente per masculos legitime descendant, in infinitum succedant, per se quidem consequitur, vt, feodo nouo iuribus antiqui feodi praedito, respectu cuius *proauus* emtoris pro primo adquirente adcipitur, vti collateralium per patrem intra gradum quartum constitutorum, patrui scilicet et *propatrum* *descendentes*,

ita

ita etiam *fratres horumque posterorum*, quoad nempe non minus hi, quam illi a *proaucto*, qui scilicet pro primo adquirente habendus est, originem ducunt, *in infinitum* plane succedere. Quod quoque quum per se certum esset, ne quidem opus erat, speciatim addere: de solis collateralibus adscendentium adquirentis hic agi. Quae igitur quum ita sint, restrictio constitutionis nostrae provincialis, quae ratione *collateralium per patrem* extensionem successionis in feodis nouis iure antiquorum concessis ex iuris communis ratione consideratae, sed ad quartum gradum restrictam, continet, ad solos, quos modo dixi, collaterales adscendentium primi adquirentis *patruo magno remotiores* eorumque descendentes pertinet; quoad *fratres autem eorumque progeniem* temperamentum aliquod atque restrictionem ad certum gradum haud comprehendit. Cuius quidem discriminis ratio, quum per modo obseruata ex eo in promptu sit, quod collaterales per fratrem *in infinitum a proaucto tamquam primo feodi adquirente* sanguinem ducant, collaterales vero per patrem *patruo magno remotiores a proaucto adquirentis* haud descendant; sane vix est, ut huic rei diutius immoremur.

## §. VII.


*Quod ulterior probatur.*

Neque vero parum haec ita sentientibus suffragatur nobis, quod in eadem hac constitutione diserte addatur: feodium talismodi nouum quoad nominatorum heredes naturales feodorum capaces *in infinitum* pro antiquo habendum esse feodo: und das verkaufte Lehn quoad ipsos nominatos und derselben Leibes-Lehns-Erben *in infinitum pro feodo antiquo gehalten* — — werden soll. Si quo enim, hoc certe planissime confit, sanctionis huius restrictionem, vt ad descendentes collateralium, per patrem tertii quartique gradus, ita in primis quoque ad *fratres fratrum-*



*trumque descendentes nequaquam pertinere, sed ad solos collaterales ad-  
scendentium propatruo remotiores eorumque descendentes restringendam  
esse. Quodsi enim restrictio successionis ad quartum gradum, quam  
constitutio continet, ad fratres horumque descendentes spectaret; clau-  
sula nostra de successione eorum, qui a personis nominatis inque quarto  
gradu constitutis descendunt, quoad fratrum liberos ceterosque descen-  
dentes plane otiosa foret omneque penitus officium perderet, quum plane  
fieri non possit, ut successio eorumdem ad quartum gradum et sic ad fra-  
trum nepotes restricta sit, et nihil tamen minus descendentes eorum *in*  
*infinitum* succedant. Quodsi ergo, si verba constitutionis ad collaterales  
quoque per fratrem trahere velimus, secundum ipsas illius litteras ne-  
potum fratri descendentes *in infinitum* succedunt, sane dici non potest,  
successionem fratrum eorumque descendentium ad fratrum nepotes esse  
restrictam. Quid igitur clarius, quid rei, quid verbis conuenientius est,  
quam functionem nostram et restrictionem illa comprehensam solos ad  
*collaterales ascendentium* pertinere? Neque etiam recte quis dixerit,  
clausulam hanc de eo tantum intelligendam esse casu, quando feodum  
post mortem primi adquirentis per successionem ad nominatas illas et intra  
quartum cum adquirente defuncto gradum constitutas personas actu deuenie-  
rit, non vero ad eos pertinere, quorum parentes, ante praemortui fuerint,  
quam casus successionis eos tangeret. Quin enim verba generalia plane  
et indefinita sunt, indefinite quoque et generaliter eadem interpretari par-  
est. Ut taceam, de posteriori casu vel ideo interpretari fas esse, quod  
prior per se iam intelligatur, ut non necesse fuerit, illum *speciatim*  
definire.*

## §. VIII.



### §. VIII.

*Dispositio illius ad feoda noua pacto vetera haud  
pertinet.*

Quum vero feoda, de quibus hactenus loquuti sumus, mediante contractu emtionis venditionis ab vna familia in aliam ab ipsis eorum possessoribus transplantata naturam feodorum antiquorum *ex legis sanzione* habent, neque haec vlla ratione a conuentione quadam dominum inter atque vasallum adquirentem celebrata pendet; facilime quidem ad intelligendum est, quod, si forte pactum talismodi adcedat et in literis inuesitirae diserte exprimatur, feodum illud, quod conceditur, iure antiqui aestimandum habendumque esse, siue id cum personarum earum, quae vi constitutionis ad successionem admittuntur, *expressa specialique designatione*, siue sub *generali clausula: nach Art vnd Eigenschaft eines alten Stammlehns*, siue denique sub *generali ad reuersales prouocatione fiat*, etiam tunc eadem, quae exposuimus, principia obtineant, dummodo aliae, quam in constitutione reuersali denominatae personae, tamquam successionis capaces diserte haud exprimuntur. a) Aliud vero de illis feodis nouis dicendum est, quae vel plane non per titulum ab ipso illo, qui ea hucusque possedit vasallo dependentem, vel titulo quidem ab ipso possessore deriuando, at vero non per emtionis contractum, adquiruntur. Quum enim constitutio nostra de solo eo feodorum nouorum genere, quae per emtionem ab ipso vasallo possessore comparantur, disponat, neque de iis, quae aliunde alioue modo adquiruntur, idem statuerit;

a) Vir Ampl. Iac. Henr. BAIEKE §. 23. B. Ern. Io. Frid. MANTZEL de concursu fratriss germani et consanguinei in successione feudi lege antiqui de concursu adscendentium et collaterallium in successione feudali §. 23. n. 5.

## XXVI

statuerit; per naturam iuris singularis liquet, ea, quae a nobis hucusque disputata sunt, ad illa feoda nihil pertinere, quorum acquisitionis ratio vel plane non in conuentione cum ipso vasallo possessore continetur, vel certe non in contractu emtionis venditionis consistit. Quare, quem in defectu legum specialium iuri communi eiusque analogiae numquam locus non sit, satis constare opinor, nec in definienda hac, qua de agimus, quaestione, alias rationes sequendas esse; quam quas ius feodale commune illiusque analogia monstrat. Quo quidem sit, vt, si quis feodum vel ab ipso domino directo, postquam, apertura contingente, ad hunc deuolutum fuerit, vel a creditoribus possessoris post concursum excitatum, vel etiam ab ipsomet quidem vasallo, alio tamen, quam emtionis venditionis contractu, vel deinde praescriptione primum adquisierit, illud 1) non nisi feodi noui respectum atque iura habet, proptereaque ad solos primi acquirentis descendentes feodorum capaces successione transeat, nisi quidem pactio expressa iura eidem atque effecta feodi antiqui diserte collata fuerint; quemadmodum 2) etiam, si illud vi specialis pacti iure antiqui expressis verbis conceditur, per ea, quae supra (§. IV.) proposita sunt, non alios collaterales primi acquirentis, quam fratres ipsius eorumque descendentes ad successionem admitti, collaterales vero per patrem, nisi aliud conuentum intelligitur, prorsus ab ea excludi; nihilo tamen minus omnes, qui a fratribus descendunt, ni quidem successioni eorum certus pacto speciali modus praefixus sit, plane in infinitum succedere, clarum sit.

Haec pauca praefari volui indici *Praelectionum*, quas per instans, cui Supremum Numen benedicat, semestre aestiuum habiturus sum. Vi-  
delicet

## XXVII

delicet publice hora I. p. m. theoriam processus civilis secundum positiones nonnullas in calamum dicendas, nec non capitulationem S. Caes. Maiestatis nouiss. alternis diebus explicabo; priuatim autem h. VIII — IX. antiquitates iuris Romani ex elementis Generosiss. de SELCHOW; h. IX — X. ius criminale ad ductum principiorum Illustris MEISTERI; h. X — XI. et II — III. Pandectas duce B. Cancellario BOEHMERO; denique h. XI — XII. ius feodale praeunte Perill. Ge. Lud. BOEHMERO docere conslitui. Scripsi in Fridericana Meclenburgica Buetzouii in ipsis feriis paschalibus A. R. S. cIo IcC LXXVII.

MIZZ

vd18

ULB Halle  
005 353 157

3



Sb







14 DE  
SVCCESIONE COLLATERALIVM  
IN FEODO NOVO IVRE ANTIQVI CONCESSO  
SECVNDVM IVS COMMYNE ET MECKLENBURGICVM

IVSTE RESTRINGENDA.

1777/2

PROLVSIO ACADEMICA

QVA

RECITATIONES IVRIS

PER SEMESTRE AESTIVVM

A SE

INSTITVENDAS

INDICIT

NICOLAVS GEORGIVS BERNARDVS  
DE LOEWENSTERN.



BVETZOVII A. R. S. cIc Icc LXXVII.

